

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid XII.903-918

Sed neque currentem sē nec cognoscit euntem
tollentemve manus saxumve immane moventem;
905 genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus
nec spatium evasit totum neque pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
nocte quies, nequiquam avidos extendere cursus
910 velle videmur et in mediīs conatibus aegri
succidimus; nōn lingua valet, nōn corpore notae
sufficiunt vires nec vox aut verba sequuntur:
sīc Turno, quacumque viam virtute petivit,
successum dea dira negat. Tum pectore sensus
915 vertuntur varii; Rutulos aspectat et urbem
cunctaturque metu letumque instare tremescit,
nec quō sē eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
nec currus usquam videt aurigamve sororem.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid XII.919-929

Cunctanti telum Aenēās fatale coruscat,

920 sortitus fortunam oculīs, et corpore toto
eminus intorquet. Murali concita numquam
tormento sic saxa fremunt nec fulmine tanti
dissultant crepitus. Volat ātrī turbinis instar
exitium dirum hasta ferens orasque recludit
925 loricae et clipei extremos septemplicis orbis;
per medium stridens transit femur. Incidit ictus
ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli totusque remugit
mons circum et vocem late nemora alta remittent.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid XII.930-944

930 Ille humilis supplex oculos dextramque precantem
protendens “Equidem merui nec deprecor” inquit:
“utere sorte tua. Miseri tē si qua parentis
tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectae
935 et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
redde meis. Vicisti et victum tendere palmas
Ausonii vidēre; tua est Lavinia coniunx:
ulterius nē tende odiīs.” Stetit acer in armis
Aenēās volvens oculos dextramque repressit;
940 et iam iamque magis cunctantem flectere sermo
coeperat, infelix umero cum apparuit alto
balteus et notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem volnere Turnus
straverat atque umeris inimicum insigne gerebat.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid XII.945-952

945 Ille, oculīs postquam saevi monimenta doloris
exuviasque hausit, furiīs accensus et ira
terribilis: “Tunc hinc spoliīs indute meorum
eripiare mihi? Pallas tē hoc volnere, Pallas
immolat et poenam scelerato ex sanguine sumit.”

950 Hoc dicens ferrum adverso sub pectore condit
fervidus; ast illī solvuntur frigore membra
vītaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.